DE SARCOMATE NONNULLA

ADDITIS MORBI HISTORIIS II.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. MENSIS JANUARII ANNI MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS HEINZ.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
G. LUECKERATH, DR. MED.
F. PASSOW, DR. MED.
A. JUST, CAND. MED.

GRYPHIAE,
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

NEC NON

VIRO

REVERENDISSIMO ARCHIPRESBYTERO

RICHTER

SACRUM.

Nomen sarcomatis aliis temporibus aliis tumoribus inditum est. Pristinis quidem temporibus, quum neoplasmata pathologica quomodo essent composita, nondum subtilius cognitum esset, sarcomata intelligebantur tumores, qui carni, id est, musculi substantiae similes erant. Haec similitudo ad graviores tantum notas referebatur, quae sunt: consistentia qualis est musculorum et plus minus ruber color. Posterioribus temporibus, quum usu meliorum instrumentorum structura anatomica horum tumorum carnosorum perspecta esset, intellectum est, nomen prius, quum servaretur, neoplasmata designare, quibus nihil commune esset cum musculorum substantia.

Recentioribus demum temporibus contigit, ut haec quoque anatomiae pathologicae pars magis magisque explanaretur.

Non solum quid inter sarcoma et carcinoma, quod ad structuram anatomicam pertinet, constitutum est, sed etiam magnus sarcomatum numerus in singulares partes distributus est.

Ut paucis dicam, quid inter sarcoma et carcinoma intersit hoc afferam, quod in sarcomate nunquam alveolaris textus cellulosi structura praesto est, ut in carcinomatibus stroma semper invenimus. Videmus potius in sarcomatosis tumoribus cellulas, quibus diversae textus cellulosi formae sunt, inter se dense confertas et haud magna substantiae intercellularis copia distinctas.

Qui pristinis temporibus sarcomata corruere eamque ob causam tumores hos malignos esse negarunt, magno in errore versati sunt, qui quidem, quum diligentius in sarcomata studium collatum subtiliusque observatum esset, quomodo progrederentur, remotus est. Intellectum enim est, sarcomata eodem modo, quo carcinomata, corruere posse, neque in hac re singularia sarcomatum genera congruunt. Facile enim est intellectu molliores sarcomatum formas multo magis idoneas esse ad metamorphosim talem adjuvandam atque accelerandum. Ac revera multo saepius evidentiusque mollia sarcomata corruere videmus, quam dura. Fere interiores tumores molliuntur, nisi adjumentis externis et adventiciis effectum est, ut suppuratio in summam partem proferatur. Quae quum ita sint sarcomata observanti saepe densa et firma videntur, quae qui persecaverit per tumorem in interiore parte sordida et caseosa massa impleta inveniet, quae quidem alia qualitate alioque colore esse potest.

Quum mollia sarcomata multo facilius corruant, firmiores autem tumores sarcomatosi diutius commutationi huic resistant, fit, ut prognosis harum praesertim si tumor mature motus est, nobis multo faustior videatur, quam molliorum sarcomatis formarum, quarum prognosis maxime iniqua dicenda est.

Haud pridem non sic constabat, ut nunc, quomodo essent sarcomata sananda, et quaequae remediorum adhibere poterant, adhibebantur, alia in totum organismum vim habentia, alia in locum morbo affectum, omnia autem frustra effectu.

Ut ratione morbus sanetur tumores sarcomatosi removendi sunt, et quod a nonnullis contra operationem in carcinomatibus dictum est, hic valere non potest Quum enim in carcinomatibus cultrum adhibere verebantur, ne malo liberatus locus denuo morbo afficeretur, iis in memoriam veniat velim, in sarcomatibus raro malum remotum in eundem locum redire. Deinde in carcinomatibus timendum est, ne post exstirpationem malum in organa corporis vertatur, quae ad vitam servandam maximi sunt momenti, tales autem localisationes morbi in sarcomatibus rarissime inveniuntur.

Priusquam utramque historiam morbi narrem liceat mihi paucis mentionem facere quomodo et quas in partes tumores sarcomatosi dividantur apud Bardeleben.

Distinguit enim vir clarissimus primum quidem fibrosum sarcoma, cui, quum aequaliter fibrosam texturam habeat similitudo quaedam cum tumoribus fibrosis est. Habet interdum textum cellulosum quamquam exiguum, quae res, quum medullari sarcomati nullus textus cellulosus sit, jam discrimen inter utrumque genus efficit; neque id parvi momenti est, quod sarcoma medullare multo majore mollitia est, quam sarcoma fibrosum.

Tertium quidem est sarcoma melanodes, cujus nota propria est fuscus color, qui abscendente pigmento aut fusco aut nigro oritur. Facile intelligi potest pigmentum et in firmis et in mollibus sarcomatum generibus abscedere posse.

Sarcoma deinde colloides, ut nomen ipsum indicat, tanquam farina ex aqua subacta elasticum est, quod copia intercellularis substantiae majore efficitur.

Osteosarcomatis denique nomen iis tumoribus sarcomatosis inditum est, quorum in interna parte ossium substantias abscessisse videmus.

Quae dixi ut exemplis comprobem jam mihi liceat duos sarcomatum casus dignos, qui narrentur, proferre, quorum utrumque in nosocomio hujus urbis recentiore tempore observatum et resectum est.

Historia morbi I.

Anamnesis:

Guilelmus K. undeviginti annos natus die mensis Octobris decimo octavo anni 1862 in nosocomium receptus est.

Adolescens aegrotus, qui continuis annis superioribus sanum sese fuisse dicit, ineunte mense superioris anni Octobri dolore saepe repetitio maximeque laboribus adaucto, impellitur, ut tumorem in exteriore sinistri femoris parte, durum apperiat, qui jam urgendis mollibus, quae supersunt partibus eminere incipit. Sensim dolore eadem ratione intermittente tumor in amplitudinem crescit duorum thalerorum seque circiter 1'' ex normali superficie effert.

Aegrota haec pars eodem fere loco fuit, quem nunc medium tenet tumoris. Usque ad sex fere abhinc menses tumor paullum creverat. Hoc vero tempore accidit, ut adolescens noster aegrotus semel atque iterum tumorem vehementer insultaret. Quo facto ille in dies magis magisque ad hanc usque amplitudinem adauctus est.

Affines aegroti, medici opera non adhibita, semper infricando et imponendis fomentis, id quod nec prodesse potuit nec nocere, tumorem maturae studuerunt. Ante unum circiter abhinc mensem mollior, quam in statu praesente accuratius cognoscemus, pars orta est; aegrotus tumorem jam maturatum ratus, sua ipsius manu cultro ad pus removendum sibi vulnus intulit. Neque tamen quidquam, nisi sanguis et haud magna liquoris aquosi copia effluxit. Itaque aegrotus in nosocomium nostrum sese contulit curandum.

Status praesens:

Adolescens noster aegrotus tenui strigosoque corpore et oris praeditus pallore, qui naturae magis, quam aegritudini tribuendus videtur, sinistro in crure habet tumorem. Hic pertinet ab articulatione genu super totum paene crus ejusque amplitudinem etsi ratione diversa in omnes fere partes adauget. Angusta, quae internae parti tibiae respondet, planities minime a sana abhorret. In parte tertia cruris superiore et media tumor globosus est, ita tamen, ut globi medium non incidat in medium sani cruris, immo — ubi tertia pars superior cum altera conjuncta est — in externa posteriore superficie illud invenias. Itaque ille tumor ex crure normali in hanc partem eminet, ac minus in anteriorem, minime vero in interiorem, quippe quam minime a sano abhorrere supra diximus. Forma globi in superiorem, minus in inferiorem partem eminet. Hic tumor infundibuli instar minuitur, ita ut pars supra malleolos sita, praeter tenuem quemdam, qui undique eadem ratione crus circumdat, tumorem, paene normam non excedat.

Explorando tumorem tectum sarcomatis similem invenies, undique pariter firmum, sola media parte paullo molliorem nec tamen plane fluctuantem. Hic tantum pars cutis, palmari modulo, magis subrubet, quam ceterae partes, quarum prorsus normalis color videtur ibique vulnus exstat $1\frac{1}{2}''$ longum rubidisque crustis obtectum. Cutis omnibus tumoris partibus extensa et paene nitida est. Permulti et tumidi funiculi venarum undique sentiri possunt et altos ducunt sulcos, quos digiti plane dignoscere totosque persequi possunt idque et ipsis iis in partibus, in quibus color, qui venarum est caeruleus, discerni nequit. —

Doloribus nunc aegrotus fere nullis afficitur, minimisque majore impressione. Quod attinet ad articulationes propinquas, genu articulatio omnino incolumis est. Aegrotus facile crus in illa articulatione quantum per tumorem licet flectere potest, prorsusque corrigere atque ad rectum revocare. Haud talis articulatio pedis, in qua extremitas sua sponte moveri nequit, alia ratione moveri potest, ita ut haec articulatio ipsa morbo nequaquam affecta videatur. Per se hac in articulatione soli digiti moveri et flecti paulum et corrigi possunt idque, ut plane apparet, solis musculis pedis efficitur. Omnes igitur totius cruris musculi muneribus suis fungi non possunt.

Sequuntur mensurae comparatae inferiorum extremitatum

a sinistra:	a dextra parte:
I amplitudo cruris arcte supra malleolos	
22 CM.	18 CM.
II amplitudo in parte superiore	
34 CM.	33 CM.

Maxima tumoris amplitudo ea parte, qua tertia cruris pars superior cum media cohaeret 65 CM.

Therapia:

Initio tumor in corona gummosa positus ac quotidie bis tumor illitus est mixtura, composita ex

Acid. tannic. ʒi

Spirit. vin. rect. ℥iij

Die XVI m. octobris. Adhuc nihil omnino commutatum est; sanguis, qui rarus semel ex vulnere defluxit, imposito linamento repressus est. Tensio illa tumoris, qua aegrotus ante laboravit, aliquantum remota est. Ipse tumor magis magisque crescere videtur.

Die XXIII h. m. Iterum iterumque sanguis exiguus ex vulnere et ante paucos dies ex naso profluxit. Ordinatur Acid. sulph. dilut. Amplitudo maxima tumoris in 4 CM. crevit. Forma tumoris magis ab anteriore in posteriorem partem complanata est, id quod propter continuitatem jacendi ejus ipsius pondere factum esse censeo. In superiore et exteriore parte tumor non eadem ratione crevit, ubi tribus in partibus et in anteriore et in media et in posteriore tumores gibbosi orti sunt, qui tentanti molliores, quam reliqua tumoris pars videntur. Pariter tumor in vulneris partem cacuminatior factus est. Aegrotus adhuc illito illo, quod dicimus remedio magis refrigeratus est, quod remedium porro adhibetur.

Die XXVI h. m. Represso sanguine, qui saepius profluit in vulnere paullatim magna copia linamenti sanguine et pure valde repleti collecta est, quae tepida aqua suffusa mollitur et removetur. Jam cernitur parvus conus,

qui 1″ in altitudinem et amplitudinem ex vulnere profectus est, et ex eodem, quo tumor, textu constare videtur. Eandem causam sanguinis extremo tempore saepius stillantis fuisse existimo. Ferr. sesquichlorat. illinitur. Nonnunquam aegrotus queritur de doloribus, qui fulminis instar irruant. Praeterea autem valetudo satis bona.

Diarrhoea haud gravis conjuncta cum volutatione, quae est in alvo, postulat Tinct. thebaic. gtt. XX.

Die XXVIII h. m. Aegrotus heri ab hora duodecima frigore affectus est, deinde aestu, denique, sudore, iisdem etsi minore ratione duobus diebus ante. Hodie accedit cibi taedium. Propter magnam febrim (39,3° C.) aegroto datur Chinin.

Die III mensis Novembris. Amputatio femoris ab Ill. Bardeleben nullis impedimentis perfecta est. Duobus, qui sequuntur diebus aegrotus multa pituitosa sputa edidit; contra anginam catarrhalem adhibetur aluminis solutio.

Die VI h. m. Vulnus iterum obligatur. Soluto primo vinculo apparet primam adesse intentionem; in interiore vero parte extractis suturis pus cernitur.

Die VII h. m. Jam ultimae suturae extrahuntur; tumor inflammationis non exstitit. Aegrotus, qui ex aliquanto tempore colore icterico laborabat, eo magis magisque liberatur ac praeterea valet: neque animum ac spem amisit. Sputa illa haud ita frequenter eduntur atque molestiae deglutiendi valde minuuntur, aegrotus semper utitur: Chin. ℈j ad ℥vj.

Die X h. m. Aegrotus in sinistra regione inguinali vexatur dolore, cujus causa, ut diligentiore exploratione apparet, tumescentes sunt glandulae.

Die XII h. m. Glandularum tumor minuitur; caeterum aegrotus valet. Praeter duas ligaturas, quae solvi nondum possunt, ceterae remotae sunt.

Temperatura proximis diebus per horas vespertinas paulo adaucta est, parvo temporis spatio intermisso etiam vesperi a recto non abhorret; interdum valde exiguae exacerbationes exsistunt. Valetudo aegroti licet interdum non constans bona dici potest. Vires continuo augentur, vulnus operatione illatum, cicatrice obducitur et adolescens prorsus sanus dimittitur Kalendis Martiis anni 1863.

Ex microscopica tumoris inspectione, quam Ill. Grohé instituit, cognitum est, tumorem illum non solum sarcomatis signa praebere, sed omnino omnia, quae diximus osteosarcomatis propria habere.

Historia morbi II.

Anamnesis:

Friedericus K. undeviginti annos natus sanos parentes germanosque se habere dicit et se ipsum, antequam hoc morbo correptus sit, bona firmaque usum esse valetudine. Extremo autem mense Junio anni proximi, quum jam per aliquot hebdomades in genu sinistri articulatione urentes vehementesque sensisset dolores, qui quomodo exorti sine, nescit, infra patellam tumorem animadvertit exiguum, qui neque tactus dolorem vehementem affert, neque, quominus extremitas inferior in articulatione genu promoveatur prohibet.

Brevi tempore autem tumor, in altitudinem talem auctus est, ut extremitate inferiore, praesertim; quum gra-

vissimi vehementissimique dolores exstitissent, uti non posset. Quod quum ita sit, tamen inflammationes acutae nunquam oculis perceptae sunt; quamquam temperatura jam ab initio permagna erat. Sic res per aliquot hebdomades se habebat, donec extremo mense Septembri aegrotus venit in clinicum chirurgicum. Attamen, quamquam aegrotus parti corporis morbo correptae, maximam adhibet curationem tumor magis magisque crevit. Pectore se laborare aegrotus non queritus, quamquam arida tussis proximo tempore apparuit. Maxime autem vexat aegrotum remissio in dies crescens et lassitudo.

Status praesens:

Aegrotus adolescens procerus et tenuis, facie pallida maleque affecta, genis cavis, profundis oculis, circa sinistri genu articulationem magnum globoque non dissimilem praebet tumorem, cujus centrum media in genu articulatione ubi normalis est. Articulatio autem genu adeo non dignosci potest, ut, neque patella, neque poples, neque femoris tibiaeque condyli sint dignoscendi. Amplitudo hujus tumoris paene tanta est, quantum hominis adulti caput, maxima amplitudo est 55 CM. Consistentia tumoris dura atque astricta est, externa inferioreque parte excepta, ubi tumor abit in tibiam Haec enim pars tumoris, quum tangitur, elastica dubieque fluctuans esse videtur. Cutis supra tumorem valde extenta et nitida; hic illic venas dilatatas livide perlucentes vidimus. Temperatura mirum in modum aucta est, thermometrum indicat 4,6° C.

Articulatio genu paullulum flexa promoveri nulla ratione potest. Crus totum super pedis articulationem ita tumet, ut amplitudo circiter 4 CM. major sit, quam alterius extremitatis. In regione inguinali sinistra glandulae lymphaticae magnopere auctae sunt. Lamentationes gemitusque aegroti, quamvis tumorem vehementes dolores fulminis instar perstringant, exigui sunt. Ex aegroti autem habitu graviorem illi inesse morbum manifestum est, qui exploratione facta, tuberculosis incipiens in summis pulmonibus esse apparet. Dextra parte magis quam sinistra sonitus percussionis oppressus invenitur et praeter inspirationem indefinitam exspiratio bronchialis.

Brevi tempore post amputatio ab Ill. Bardeleben facta est inferiore tertia femoris parte. Tumor ablatus apparet sarcoma. Vulnus suturis conjunctum, tegmentum humidum impositum, glacies adhibita est. Dum pars superior inferiorque vulneris prima intentione conjuncta est, medio in vulnere in utramque partem partes molles aliquantulum regressae sunt, os prominet paullulum explanitie raris granulationibus tecta. Jam apparent granulationes, attamen cutis medio in vulnere in utramque partem valde regressa est. Atque ut compressione aequali superne cutis attractio ad protegendum prominentem truncum efficiatur, arcus Sczymanowskii adhibetur, qui fasciis nonnullis gypseis in summa parte femoris satis fixus est. Tum postquam pars granulosa linamento protecta est, duae emplastris conjunctae fasciae a superiore inferioreque parte femoris supra arcum intenduntur atque conjunguntur. A prominente ossis fine nunc pars formae dimidiae peripheriae, soluta est et ex-

trahi potest. In marginibus planitiei granulosae apparet cicatricatio incipiens. Arcus Sczymanowskii rursus eodemque modo, ut supra demonstravimus, adhibetur atque munitur. Cicatricatio perfecta est, expletaque omnibus suis partibus. Aegrotus jam resurgere et baculis innisus ambulare incipit, et sanatione perfecta e clinico dimitur die XXIII Maji 1863.

Uterque horum, quos supra acuratius descripsimus, casuum, praeterquam quod ob magnitudinem tumoris et amplitudinem haud contemnendus est, et indicibus morbi et eventu naturam sarcomatum certis designat signis.

Epicrisis.

In extrema hac parte, si placet, singula quaedam breviter perstringam.

Uterque aegrotus juventute floret, alter undeviginti annos natus est, alter viginti. Hi ergo casus praeter alios demonstrant morbo illo etiam juvenes affici.

Post operationem videmus tumorem glandularum tumidarum in regione inguinali exortum, qui in utroque casu maximus fuit, brevi tempore minutum esse, id quod de ipsis duris sarcomatis generibus diximus.

Neque minus utrumque vulnus operatione illatum faustum habuit eventum, quorum alterum brevissimo tempore omnino fere prima intentione cicatrice obductum est.

Imprimis quomodo operatio pertinuerit ad universam aegrotorum valetudinem, memorandum mihi videtur. Uter-

que miser ac debilitatus in nosocomium receptus. Paucis vero post operationem diebus peractis non solum pallor discesserat viresque creverant, sed paucis post operationem mensibus hilari animo et bona spe nosocomium reliquerunt.

VITA.

Natus sum *Julius Heinz* in vico Silesio, cui nomen Smolkowietz, die XVII. m. Aprilis a. MDCCCXXXVIII patre *Joanne*, matre *Anna* e gente *Czirsowsky*, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis elementis litterarum domi imbutus, adii gymnasium Rateboriense. Ibi per novem annos versatus maturitatis testimonio munitus Gryphiam me contuli, ubi a Prof. *de Feilitzsch*, rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. *Bardeleben* tunc medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen professus sum.

Per quadriennium audivi disserentes:

Ill. *Baier:* de logice.

Ill. *George:* de psychologia.

Ill. *Limpricht:* de chemia anorganica, organica et analytica.

Ill. *Münter:* de botanice generali et de zoologia, eundem ducem secutus sum in excursionibus botanicis.

Ill. *Hünefeld:* de geognosia, geologia et oryctognosia.

Cel. *Schwanert:* de chemia pharmaceutica et analytica.

Ill. *de Feilitzsch:* de physice experimentali.

Ill. *Schultze*: de angiologia et neurologia, de anatomia et physiologia comparata.

Ill. *Budge:* de osteologia et syndesmologia, de myologia et splachnologia, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, de embryologia, de histologia normali, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. *Haeser:* de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia et therapia generali.

Exp. *Hertz:* de histologia normali.

Exp. *Heinecke:* de anatomia topographica, repetitorium chirurgicum.

Exp. *Bengelsdorff:* de arte formulas rite concinandi.

Exp. *Schirmer:* de opthalmiatrice, idem dux mihi fuit in exercitationibus opthalmoscopicis.

Ill. *Ziemssen:* de auscultatione et percussione, de syphilide; eundem ducem habui in exercitationibus laryngoscopicis.

Exp. *Haeckermann:* de medicina forensi.

Ill. *Laurer:* de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. *Grohé:* de anatomia pathologica generali et speciali, idem dux mihi fuit in exercitationibus pathologicis practicis.

Ill. *Bardeleben:* de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de herniis, idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

Ill. *Rühle*: de pathologia et therapia speciali, de morbis psychiatricis.

Ill. *Pernice:* de arte obstetricia, de morbis neonatorum, de morbis mulierum.

Denique in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. *Bardeleben*, in clinico medico Ill. *Rühle*, in clinico obstetricio Ill. *Pernice* duces mihi fuerunt.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

Operatio palati duri fissi non primis vitae diebus efficienda est.

II.

Chloroticarum cura ferri praeparatis usu neutiquam absolvitur.

III.

Ex omnibus graviditatis signis pulsatio cordis foetalis gravissimum.